



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 22. de obedientiâ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

*Praxis pro sui cognitione R. P. Roberti
Sotruvelli.*

Quid fui, Domine? quid sum? & quid ero? fui nihil, nihil sum, & ero fortè nihilo pejus. Fui conceptus in originali peccato, sum plenus peccato actuali, & quis scit an ero condemnatus pœnâ gehennali? fui miserabilis in ingressu, sum miserabilior in progressu, miserrimus ero in egressu. fui sperma foetidum, sum faccus stercorum, ero esca vermium. Cum nihil essem, fui sine periculo damnationis, & sine spe salutis: & jam sū in spe dubiâ & gravi periculo: ero aut ex re speratâ felix, aut ex periculi successu infelicissimus, sic fui, ut damnari non possem; sic sum, ut salvari vix possim; sic ero, ut in æternum damnatus, aut in æternum salvus. Quid fuerim scio, quòd fui pessimus: quid sim nescio, quia de gratiâ incertus: quid ero ignoro, quia de salute dubius. Quod fui, Domine, ignosce, quod sum, corrige, quod ero, dirige: dirige inquam à malo præterito, in bono præteriti, ad præmium futurum. Amen.

Aspira, ut sup. pag. 8. Haccine firmâ fide, & c. ibid.

JACULATORIÆ.

Noverim me, noverim te; ut amem te, & contemnam me. Aug. l. 2.
Soliloq.
cap. 1.
Tua est, Domine, magnificentia, & gloria, & victoria, tua sunt omnia: & qua de manu tua accepimus, dedimus tibi.
Qui sum ego, Domine Deus, & qua domus patris mei, ut prestares mihi talia? 1. Par. 29.
2. Reg. 7.
Quid est homo, quia magnificas eum, & apponis erga eum cor tuum? Iob. 7.
Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humiliare respicit in celo & in terra? Psalm. 112.
Aug. lib. 1.
Conf. c. 5.
Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas à me, & ni faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miseras? O quàm excelsus es Domine! sed humiles corde sunt domus tua. Psalm. 35.
Non veniat mihi, Domine, pes superbia; ibi enim ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem.

CAPVT XXII.

Meditatio I. de obedientiâ humilitatis filiâ.

COMPOSITIO LOCI, videre universum, Christum Dominum, B. Virginem, & Angelos & creaturas omnes Dei nutui parentes, & tu audes repugnare?

PVN.

*Quam ne-
cessaria sit in
omnibus
subordina-
tio.*

*Deo maior
certò cura
communita-
tis quàm
singulorum.*

*Rom. 13.
Deut. 17.*

*Obedientia
perfectio &
dignitas.*

PVNCTVM I. Considera, divinam Majestatem, etsi ubique præsens sit, tamen noluisse gubernare hæc inferiora, nisi per superiora, ut patet in cælis, Angelis & hominibus. Considera Secundò, subordinationem illam aded necessariam, ut, quemadmodum in cælestibus orbibus contingit, inferiorem à supremo non nisi per immediatum moveri, ita neque homo à Deo ejusque voluntate gubernetur, nisi ille cum Superiore suo ejusque voluntate conjunctus sit. Primus enim orbis, sive supremus hac in re est divina voluntas, regula omnium bonarum voluntatum: huic proxima illius quam ipse delegit, Superioris scilicet, omnis enim potestas à Deo est, & à Deo singulari curâ gubernatur, cum per Superiores communitas regatur, cujus meritò cura major est Deo quàm singulorum. *Hæcine vera*, pag. 7.

Considera Tertio, omnia creata Deo parere; atque erubescere esse solum te rebellem, cui tamen omnia data sunt à liberalissimo Domino, ut pareant tibi, & tu uni vicissim pareas Deo. Considera Quarto, quàm sit indignum hominem voluntati divinæ, id est Superioris, non parere: siquidem talis, ut equus, non fræno, sed fessori resistit. qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit; atque ided Scriptura dicit, Qui superbiens nolens obedire sacerdotis imperio, morte morietur.

Aspira, ut supr. pag. 8. *Hæcine firmâ*, &c.

PVNCTVM II. Considera dignitatem & perfectionem obedientiæ. Primò, quia conjungit nos optimè Dei voluntati, ut quasi errare homo nequeat; quid tibi optatius esse potest? Secundò, nos totos Deo tradit in holocaustum, veluti si arbor, non fructus tantum, daretur; quippe executionem, volūratem & judicium, quod difficillimum est, tradit. vide an talis sis, scilicet ut cadaver, baculus senis in manu Superiorum tuorum quisquis sis, & quocumque in statu, & vide ut vel coactè hanc expleant milites in omnia pericula omni horâ parati. Tertio, scito quòd obedientia sola virtus est, quæ

quæ virtutes cæteras (juxta id quod S. Gregorius) menti inserit insertasque custodit. idque tum quòd omnes actus virtutum jubeantur, tum quòd ipsa humilitatis, patientiæ, fidei & charitatis actus virtute contineat; imò per ipsam ut notam, omnes aliæ virtutes in Sanctis, etiam extracticis probentur. Quartò, considera locum illum Scripturæ, Melior est obedientia quàm victimæ; & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Victimam Gregorius corporis castigationem & devotionem interpretatur; Et obedientia, inquit, victimis verè præponitur, quia per victimas aliena corpora, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.

Hæcine vera, ut sup. pag. 7.

Expende item illa verba Salvatoris nostri: Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. Sive enim Deus, ut Bernardus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum. ideoq; hortatur Apostolus. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus.

Credo tibi, &c. ut supra pag. 7.

Considera Quintò, obedientiâ omnes tentationes & pericula superari; juxta illud, Vir obediens loquetur victorias; operaque insuper nostra valdè nobilitari, & meritoria fieri, ac nostras orationes efficaces. Obediet enim Deus orationibus nostris, si obediens fuerimus Præpositis nostris. Sextò, obedientia, ut Climachus, est abnegatio animæ, corporis proprii voluntaria mors, vita sine sollicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, vita humilitatis, & quasi si quis dormiendo iter faciat: securus enim est, sive faciat, sive omittat, quando quidem Deo se tradiderit.

Creator meus, ut inf. pag. 356.

PUNCTVM III. Considera quantæ tenebræ sint hominum,

Obedientia commoda.

*Greg. lib. 35.
Mor. c. 10.*

*Obedientia
nota vera
sanctisatis.*

1. Reg. 15.

Luc. 10.

*Bernard. de
præcept. &
disp.*

Coloss. 3.

Prov. 21.

Gregor.

Gradu. 4.

*August. l. 3.
Conf. cap. 11.
Psalm. 22.*

Exod. 25.

*Grad. 4.
Obedientia
tentationes
vincit.*

Hebr. 13.

minum, quanta cæcitas, quàm incertæ providentiæ nostræ, ut nemo sciat quid expediat, ideoque verè beneficium esse magnum, bonum ducem nancisci, & potissimum Deum, qui ita intendit nobis, perinde ac si soli essemus, ut verè dicere liceat: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Nam ut Deus per Sacramenta sanctificat, ita per homines homines regit, & per internuntios suos suam voluntatem indicat: habes non solum tu Religiose, sed omnis subditus, Arcam Domini Superiores suos, quâ in omni re interroget. Secundò attendo nullam artem sine magistro facile addisci, ita neque artem Deo serviendi. Adverte autem multo magis vitam spiritua-lem peritum ducem requirere, magnamque esse stultitiam scito, rerum incognitarum facere experimentum tuo periculo, cum aliter possis: ideoque Climachus ait, rudem hac duce perfectionem attingere, sine eâ peritissimum facile errare. Quartò, considera utilitatem sinceræ obedientiæ: si quis enim sincerus & obediens sit, statim etiam gravissimas tentationes, potissimum carnis, evanescere sentiet, atque per eam sanari. Quintò, quanto amore & observantiâ Superiores colendi, cum sint patres nostri, vicarii Dei, rationem reddaturi pro animabus nostris. Obedite, ait Apostolus, præpositis vestris, & subiacete eis. ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri; ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.

Hæcine vera, ut sup. pag. 7. vel Creator meus, ut infra pag. 356.

Meditatio II. De Obedientia.

COMPOSITIO LOCI. Considera, Deum omnia creatantem, & suæ voluntatis exequendæ dantem præceptum.

Obedientia. PUNCTVM I. Considera, ô viator Dei voluntatem sequi

sequi ut regulam perfectissimam, esse beatitudinem nostram; imò esse beatius quam esse matrem Dei, ut B. August. unde Dominus, cum mulier illa dixisset, Beatus venter, qui te portavit; ait, Quin imò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud *Luc. II.* Secundò, Christum aspice promptissimè venisse ut faceret voluntatem Patris sui; factum obedientem usque ad mortem, non solùm Deo Patri, matrique suæ, sed & hominibus impiis, Augusto scilicet, imò immanibus etiam tormentibus, & tu negas ipsi & Superioribus parere? Ita verò *Ioan. 4.* eam dilexit, ut diceret cibum suum esse facere voluntatem Patris. Vide an Domino IESU similis sis, itaque avidè atque si cibum quæras, in omnibus optes fieri Dei ac Superioris voluntatem. Tertiò, considera hæc verba, *Matth. 12.* Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater & soror & mater est. *Aspira, ut sup. pag. 8.* *Hæcine firmâ.*

Quartò, considera ut B. Virgo filium sit imitata, ut Apostoli, quos omnes Dominus per Bethaniam, id est domum obedientiæ, ad montem Oliveti duxit, cum ascensus esset in cælum. Est enim obedientia perfectissima dependentia à providentia divina, quam per Superiores experimur. *Obediens à Deo dependet.* Quintò, attende veri obedientis esse, non spectare quis sit Superior, an doctus, an indoctus, quandoquidem ipsa Sapientia æterna nos regat. Sextò, ejusdem esse id omne velle, & optimum id judicare quod statuit Superior, sicut fit in rebus fidei, quasi ipsum mandatum ab ore Domini proficisceretur. *Hier. epist. ad Rust.* Unde Hieronymus, Credas tibi salutare quidquid Superior præceperit, nec de majorum sententiâ iudices; tuum officium est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moysè: Audi Israël & tace. qui enim propter rationem obedit, sibi obedit & rationi, non Superiori. neque obediens est; quemadmodum qui ob rationem solam credit, fidelis esse non potest. Septimò, incommoda quæ ex hujus defectu oriuntur. Primò, homo natus

Z

titur

Prov 12.
Incomm da
propria pru-
dentia
Bern serm.
3. de circum-
cis.
Inobedi-
tia concor-
diam tollit.

Obedientia
fructus.
Bernar. vo-
luntas pro-
pria lepra
est.
Cess. coll.
Abb. Moy-
sis.

Basil.

titur propriâ suâ prudentiâ, quod stultum est: via verò stulti, ut Sapiens ait, recta est in oculis ejus; qui autem sapiens est, audit consilia. Judicio certè repugnante nemo obedire diu potest; talis enim murmurat, temerè Superiorem judicat, se illi præfert: ideoque obedientia illa non est virtus patientiæ, sed velamentum malitiæ. Accedit Secundò, concordiam perire, pro quâ æquum est membrum capiti potius, quàm contrâ caput membris consentire. Considera ut adversus hæc pecces, quamque grave sit hominem & maximè Religiosum, qui ut baculum & cadaver se fore obtulit, & obedientiam pro regulâ vitæ habet, hîc deficere; quantaque superbia sit ullum hominem se in suâ re sapientiorum Deo aut meliorem putare. Si enim secus arbitratur inobediens, cum sciat Deum mandare, cur obedientiæ refragatur? *Creator meus*, ut infra pag. 356.

PUNCTVM II. Considera Primò, quòd obedientia voluntatem propriam lepram pessimam animæ destituat: lepra quippe est, facitque ut bona bona non sint, Deumque oppugnat, ac universi ordinem à Deo constitutum perturbat. Secundò, quòd hæc portam aperiat gravissimis tentationibus & perturbationibus: neque ullo certè vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit ad mortem, quàm si suo judicio suaserit definitionique confidere: idem valet in aliis. Obediens verò, propriaque voluntate carens, tranquillissimo in portu navigat. Considera Tertiò, quàm sit grave, maximè si vovisti, non parere, cum ratio, creatio ac redemptio, vocatio & conservatio nos obstringat. Idèò Basiliius, Quicquid eo (Superiore) nesciente facis, furtum ac sacrilegium est, tibi que exitium, nullam autem utilitatem apportat, esto, tu id bonum judices: nam si bonum, cur non in aperto? Considera Quartò, si non obedias, necessariò aut carni aut dæmoni parendum esse; & vide quàm stultum, suave Christi jugum cum tam dirâ servitute commutare. *Credo tibi*, ut su. p. 7.

PVN-

PUNCTVM III. Considera Primò conditiones obedientiæ, & an eæ in te sint. Primò, debet esse integra, etiam in minimis; turpe enim pro tantillo detrahere holocausto. Secundò, prompta, ut simus sicut Angeli veloces & ad nutum parati; sive enim Deus, sive homo mandatum aliquod tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendam. Tertio, simplex, purè propter Deum, non ob commoditatem. Hinc perfectè obediens nullum in præceptis discrimen facit, fortisq; est in arduis tolerandis, patrandis, appetendis. Quarto, perseverans; Quintò, alacris; Sextò, humilis; Septimò, ex amore & devotione; Octavò, cum gaudio spirituali. Considera Secundò exempla Sanctorum verè obedientium, ut magni Abrahami, ejusque præmium; Joannis Monachi, &c. & pudeat nos prudentiæ nostræ: etenim si quis etiam minus spirituali obediatur, tamen, ut Climachus, non injustus est Deus ut eas animas fallat, quæ cum fide & humilitate alterius judicio se submitunt. Tertio vide pœnas inobedientis Adami, Saulis, Prophetæ illius in Bethel; & contemisce. Adverte autem Sanctorum omnium summum bonum & solatium esse in omnibus scire & exequi posse divinam voluntatem; ejusq; obedientem verè participem esse. An verò tibi dulce est parere? an murmuras si quis petita neget & voluntati tuæ repugnet? Quarto, considera sine obedientiâ nullum meritum esse. quis enim remunerat servum non operantem pro se, nec secundum voluntatem suam? Obedientia verò opera etiam indifferentia veluti virgula Midæ inaurat. Postremò vide, cum tot nominibus Dei ac Domini tui sis, quàm grave sit murmurare, nolle obedire, ut patet in Core, Israëlitis, Maria sorore Moysis: ut verè à Basilio dictum sit, Præmium majus debetur obedientiæ, quàm rectè factò cum continentia.

Conditiones obedientiæ.

Bernard. in tract. 2. de præcep. & dispens. servò initio.

Obediens non fallitur Gradus 25.

Gen. 3.

1. Reg. 15.

3. Reg. 13.

Num. 26.

Num. 12.

EXERCITIUM.

Creator meus, & Redemptor meus, Dominus meus, & Deus meus, ecce ego creatura, servus, filius, infinitis titulis tuus sum, ut obediam Majestati tuae. sed eheu! etsi omnia tibi obediant, & hac mihi dederis ut obediam tibi; tamen instar prodigi substantiam accipio, & parere recuso; quasi prudentior te sim, & ius quos ut me regerent constituisti. Hinc vagor incertus consilii, & sollicitus vivo, qui possum securus, si in te iactarem cogitatum meum. Quid enim scio quid expediat mihi: certè novi hoc unum ut obediam tibi & Superioribus meis, & instar Abraham offeram voluntatem meam primogenitum meum, & libertatem; id certè hodie facio in conspectu tuo, & curia tua, ac in omnibus obedire volo: Superiores sive saeculares, sive spirituales agnoscere pro vicariis tuis, eosq; amore omni sincero & reverentiâ colere, non judicare jussa eorum. nescit enim judicare, quisquis perfectè didicit obedire.

Psal. 54.

Philip. 2.

Luc. 22.

Ioan. 5.

Galat. 2.

Applicatio
ad Com-
munionē.

Bone JESU, qui ex amore mei factus es obediens usque ad mortem crucis, atque ex iis qua passus es, obedientiam didicisti, & docuisti exemplo & verbo tuo; dicis, Non mea voluntas fiat, sed tua. Ego ne igitur dicam, etsi dura, etsi adversarios mihi immiseris, Non tua, ô Deus, sed mea fiat? repugnando, excusando, & murmurando, quoties sensualitas & proprium judicium aliud ab obedientiâ sua serunt? Tu dicis, Non quero voluntatem meam, sed eius qui misit me, & animam tuam ponis pro me; ego verò nisi sensui, nisi palato meo placeat quod jubetur, ut placeam tibi repugnabo, & ubique quaram toto corde & animo voluntatem meam: Non ita sed ecce iam tibi offero eam in victimam & holocaustum. In aeternum nec in parvo, nec in magno eam utar absque sanctissima voluntate tua. Nemo enim sibi vivit, sed tibi, qui pro nobis vivere & mori dignatus es, utinam verò ego jam sincere dicere possim, Vivo ego, iam non ego, vivit verò in me Christus.

Quid enim justius, quàm ut tibi vivam, ô vita mea, & qui manduco te, vivam propter te? Et verò si hoc credo, te esse, & vivere in me, cupere mecum esse aeternum, quàm exultare deo, & amare

amare te, cum tu Deus meus charitas in medio me es, & cibus & potus meus. Vtinam vivam in te, & spiritu tuo agar, & filius tuus sim, & tu hereditas mea! Dicebat Boos, Ruth, ut cum mes-
 soribus intingeret buccellam suam in aceto, & ut colligeret liberè
 spicas, & illa mox adoravit eum super terram. Tu verò jubes in
 sanguine tuo nō buccellam, sed animam meam lavem, & in ace-
 to memorialis passionis tuæ, & frumentum toto pectore colligam
 Electorum. Et quoties? quoties quispiam etsi improbus Sacerdos
 te vocat, toties enim obedis voci hominis, & tibi non erit para-
 tum cor meum, ut faciam voluntatem tuam, & patiar quod tibi
 visum fuerit? Et verò quid mihi beatius, quàm pravam volun-
 tatem meam, quæ me toties perdidit, & perdit quoties eam se-
 quor, exuere, & tuam induere, quæ regula est omnis bonæ vo-
 luntatis? O Sapientia aeterna, dirige me in semitam mandato-
 rum tuorum, & doce me facere unicam voluntatem tuam: neque
 enim alias mercedem expectare poterò à te, ò Pater familias, qui
 me vocasti in vineam tuam, cum operarios es vocaturus, si se-
 cundum meam, & non tuam voluntatem operatus fuero. Da mi-
 hi Domine gratiam, ut cognoscam & faciam eam toto corde
 Amen.

Ruth. 2.

Psalm. 26.

Matth. 20.

Praxis obedientiæ exercenda.

NOTA hæc quæ de obedientiâ dicta sunt videri magis ad re-
 ligiosos, quàm ad sæculares pertinere. verùm ad utrosque
 instruendos eadem valent. Neque minùs sæculari quàm reli-
 gioso utilia sunt.

Prima verò praxis est, considerare diligenter, quos qualibet
 in re tibi Deus dederit ductores ac Superiores; deinde eorum
 mandata ac præcepta, legesque investigare & observare. Nulla
 virtus latius patet, nulla utilius exercetur.

Secundâ. Parentum, Majorum, Præceptorum jussis studiosè
 parere, etiam in minimis. Hinc B. Catharina Senensis domi in
 patre Christum, in matre B. Virginem intuebatur, eisque pie-
 tissimè obediebat.

Tertiâ. Manè dum actiones nostras disponimus, eas omnes
 ad normam legum ac voluntatis Superioris, id est, Dei com-
 ponere.

Quarta. In omnibus dubiis primò Deum supplici prece, de-
 inde Superiorem adire cum magnâ resignatione.

Z 3

Quinta,

Quinta. Ad mandata quæ graviora accidere possent, animum preparare.

Sexta. Frequenter illud in corde revolvere : Quis vos audit, me audit, id est, sapientiam, bonitatem & potentiam infinitam, cui resistere nemo potest.

Septima. Numquam conari Superiores in suam sententiam pertrahere, sed rationes exponere cum resignatione.

Dignatus es, ut sup. pag. 10.

I A C V L A T O R I Æ.

Loquere, Domine, quia audit servus tuus.

Domine quid vis me facere?

Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi : & exercebar in justificationibus tuis.

O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, & filius ancilla tue.

Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in seculum seculi, facta in veritate & equitate.

Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.

1. Reg. 2.

Actor. 9.

Psal. 118.

Psal. 115.

Psal. 110.

Psal. 118.

C A P V T XXIII.

Deliberatio de moderandâ cupiditate bonorum, secundo in viâ perfectionis auxilio.

HOMO. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid possumus : Nudus egressus sum de ventre matris meæ, & nudus revertar illuc in matrem omnium. Interea, cheal luctamur hîc inter desideriorum undas, spinæque divitiarum urunt & trahunt. Felicitas putatur multa possidere, sed quanta infelicitas Deus meus, pro felicitate amplecti infelicitatem. Divitiarum enim amor infatigabilis, longèque ampliùs desiderio torquet animam, quam refugeret usu suo; utpote quarum acquisitio laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur. *Heccine vera, ut sup. pag. 7.*

Paupertas verò gravis est, multa que secum incommoda, multa impedimenta virtutis adferre videtur, & beata quidem esse dicitur, sed omnibus odiosa, quid eligam

1. Tim. 6.

Iob 1.

Cupiditas est animi carnifex & tortura.

Bern. ser. de convers. ad Cleric.